



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Antonius de S. Roman n. 84

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

IESV Societatem Religionem esse Nazaræam, electam, ac singularem. Sic ille.

84. AB ANTONIO DE SAN ROMAN *In sua Mensa spiritualium ciborum Par. 2. Tract. 4. cap. 1. fin.* Nec tamen (ait) idcirco quia excucullatorum Ordinibus, Heroas hos nouem eduxi, in Ordine Clericali desunt, qui sese offerant seligendos, cum oculatus ipse sim testis, esse quamplurimos, præsertim in Clericorum Regularium Societatis IESV religiosa Familia, qui vt Angeli pacis, licet omnium postremi ad hæc se regna contulerint, inter primos tamen Apostolici laboris mercedem, ac præmia nanciscuntur.

Cuius filij Angeli pacis sunt.

Qui licet postremi venerint, Apostolice laboris præmia inter primos nanciscuntur.

85. AB ARCHANGELA PANIGAROLA; *quæ obiit Mediolani ann. 1525. in Cœnobio sanctimonialium S. Marthe sub regula S. Augustini religiosissime militantium. Huic sanctissime femina constans fama est in eo Monasterio fuisse inter alia diuinitus significatum, Appetere tempus, quo tempore Ecclesiastica disciplina reformaretur: atque ad eam reformationem laturos auxiliium Sacerdotes quosdam, qui laboraturi essent in conuersione totius mundi, concionibus potissimum habendis tanquam noui Apostoli, & de Societate IESV nominandi. Hoc diuino monitu mire solata suas Archangela, decessit. Ita refertur apud Nigronium in Comment. Regul. Soc. Tit. Par. 3. num. 24. & passim alibi apud nostros, & externos Auctores.*

Prædicta ab Archangela Panigarola, Societas.

Vt quæ ad Orbis reformationem opem eratatura.

86. * A IOANNE DE RIBERA S. Officij Qualificatore, in Regia Limensi Academia Theologice Primario Professore, Prouincie sue Capite, inter omnes huius Occidentis viros celebratissimos facile Principe, in Censurâ nunciij vniuerso terrarum Orbi acceptissimi, de honorifica Societatis IESV in Rempublicam, & Ditionem Venetam reuocatione, & antiquis sedibus, & pristinis honoribus restitutione Limæ Proregis iussu typis excusâ 22. decemb. 1657. Quot lacrymis (inquit) olim Senatus Venetus Societatem IESV ab euntem prosecutus est, tot iubilis nuper eam redeuntem est amplexatus: quàm luctuosus egressus, tam iucundus fuit toti Reipublicæ, totiqtue Societati regressus: imò verò multo iu-

Singularè gaudium ob restitutionem Societatis in Venetam ditionem.